

# AU LION BELGIQUE

élevé

*dans les plaines de Waterloo.*

---

*Les élèves de Poésie de l'Athénée royal de Luxembourg.*

*Professeur M<sup>r</sup>. BARREAU.*



**P**AGIS ex variis quæ venerat undique turba,  
 Æternæ pacis signum, visura LEONEM,  
 Effluxit. Jam non resonat clamoribus æther,  
 Nec læto reboant vicinæ carmine valles,  
 Quo, WILHELME, juvat nostrum tibi dicere amorem,  
 Atque tuas laudes festis celebrare diebus.

Tunc animum subit illustres invisere campos,  
 Quos olim invisi per mille pericula mortis,  
 Sæpiùs atque meo respersi sanguine miles.  
 Accedo, tacitosque oculos per singula volvo.  
 Hîc quondàm Anglorum volitabant signa, Borussi  
 Proelia miscebant. Illic BLUCHERIUS ardens

Eripuit patrum, defunctaque corpora vitâ  
Nobilium heroum, patriæ spes maxima quondâm.  
Quot viridante premunt, austris strepitantibus actæ  
Tegmine humum frondes, quot lato sidera coelo  
Clarâ nocte micant, quot ab alto in littora densos  
Fluctus devolvunt venti, tot martia tellus,  
Vicinum tot pallentes nemus evomit umbras.  
Ingens apparet pariter longo agmine turba  
Anglorum, ludo martis percussa cruento.  
Quos (etenim melius fatum speraverat illis)  
Anglia ab extremis exsultans miserat oris.  
Hos comitat juvenis, rapidus qui ferre britanni  
Agmen ad extremum ductoris jussa solebat.

Marmore pallenti surgit pallentior ipse;  
Ac velut excutiens lethalis vincula somni,  
Languida defixit suspirans lumina circum,  
Immixtusque brevi obscuris evanuit umbris.

Magnanimi apparent Batavi qui morte labantem  
Servârunt patriam. Nobis hinc dulcia fata,  
Hinc que novum imperium, nobis WILHELMUS et indè.  
Ah! dignas, quia fecerunt hæc otia nobis,  
Solve, Deus, grates, et molliter ossa quiescant.  
Hic contrâ taciti demisso fronte pererrant  
Sexcenti heroes aluit quos Gallica tellus.  
Terrifico frustrâ replevut nomine terram.

Non veteres lauri, non virtus inclyta texit.

Innumeri que alii stabant quos noveram in armis,  
 Et quos præcipites mors atra coëgit ad orcum.  
 Magnanimi que duces, densum et sine nomine vulgus.  
 Quorum turba levis, Boreæ ceu flatibus actæ  
 Densantur nubes, tacitis circumvolat alis,  
 Visura effigiem, molem et mirata LEONIS.

At subito ecce levi scinduntur murmure turbæ,  
 Et procùl intereà majori luce refulgens,  
 Heros apparet, genuit quem Corsica tellus,  
 Et quem fida diù victoria texerat alis.  
 Hei mihi qualis adest! quantum mutatus ab illo

Heroe, omnipotens quondàm vultuque feroci,  
Gentibus Europæ tulerat qui jura subactis.  
Quæ circumstantùm decorabant plurima frontem  
Vulnera ductorum, solus non ille gerebat.  
Sed sub largâ unum dextrâ lethale latebat,  
Coeca quod incussit residens mors pectore, vulnus.  
Jam nulla, ut quondàm, cingebat tempora laurus;  
Sed fracto nisus sceptro, tranquillus in umbrâ,  
Tristia figebat tacitâ vestigia plantâ.  
Ut propiùs stetit, et levia agmina circumspexit,  
Ad statuam attollens oculos, tum talia fatur:

SALVE AMOR GENTIS BATAVÆ, FIDEI

TUTOR! haud tu dedecoris mei stas

Signum, eam cùm tanta reposcat unam

Gloria cladem.

Pacis immortale procùl beatæ

Sidus effulges. Benè feriata

Quùm piis clarum manibus te in altâ

Sede reponit,

Gens BATAVORUM celebrat beatam

Hanc diem, quâ pax placidis amicæ

Dexterâ optatam populis coronam

Tendit olivæ.



Hanc diem , oranti Deus annuit quâ,

NASSEO regnante, benigna fata.

Quâ novi gens imperii superbos

Ordinat annos.

Alma pax , cujus sacra stas imago,

Te diù faustis tueatur alis.

Urbibusque aulisque dat una laudem

Præsidiumque.

Principum et quondam pedibus superbam

Purpuram trivi, tenuitque dextra

Regium hæc sceptrum, meaque impedivit

Tempora laurus.

Quùm tamen confisa nimis triumpho,  
Fulmen infestis aquila egit alis,  
Hanc sagittâ, pacis amans, peremit  
Sæva Minerva.

Illa divino lacerata ferro,  
Debiles aurâ volutavit alas;  
Vulnere exsanguis, graviore casu  
Procidit acta.

Tu suprâ stragem placidus recentem  
Qui levas altum caput, ô ruinam  
Ne time tantam tibi, regis æqui  
Numine tutus!

O beata hæc gens petiit potentis  
Quæ ducis leges! magis ô beate  
Ille, qui quùm jam populis amica  
Jura dedisset,

Spontè juravit patrias ad aras:

QUÆ DEDI SERVABO! tenaxque sancti  
Consili, dignum meruit BATAVÆ  
Gentis amorem.

Ille amans pacis sibi non pupillas  
In viâ occursare videt, nec audit  
Flebiles questus juvenum, patrum qui  
Funera lugent.

Nulla flens uxor revocat maritum

Signa dum martis sequitur, nec ulla

Filium mater mediis in armis

Deflet ademptum.

Patriæ at leges et amica regis

Cura civiles cohibent tumultus:

Ater et belli timor hinc refugit,

Luctus et omnis:

Nave dum rector celeri recessus

Indici extremos pelagi laccessit,

Copiam et secum comitem reducit,

Gaudia secum.

SALVE AMOR GENTIS BATAVÆ, FIDEI

TUTOR! hoc fantur tibi carmen ora

Regibus mendacia dicere unquàm

Sueta. Beatum

Te ducis tanti comitem revisunt

Jam fides virtusque, et aperta ditans

Rura, jam pleno rediit beata

Copia cornu.

Te mari terrâque timent potentem

Barbari telis nimiùm feroces.

Jam tibi responsa petunt superbi

Nuper et Indi.

Illa quam tu religio tueris,  
 Splendet exsultans adytis sacratis,  
 Audet et fractas reparare vires,  
 Te duce NASSEU !

Hæc ubi dicta dedit divino numine motus,  
 Discessit subitò et mediis se miscuit umbris.  
 Ecce simul circum heroem pallentia spectra  
 Certatim glomerata volant, et carmina plaudunt.  
 Ipse Deus tonuit ter cœlo faustus ab alto,  
 Noctis et in tenebris majori lumine fulsit  
 Sidus NASSIVICÛM, de quo fax lapsa per umbram,  
 Luce viam signat, tenebras et lumine vincit.

Adstitit, et suprâ cervicem lapsa LEONIS,  
Lambit flamma jubas; laudis velutique futuræ  
Præsaga, innocuo fulgens caput igne coronat.  
At tanto crepitu divini territus ignis  
Excutior somno. Simul, ô mirabile dictu!  
Hæc eadem apparet fulgenti lumine stella.  
Vix illam aspexi, quùm talia pectore fundo:  
Me fortunatum! Deus hîc ad limina vitæ,  
Cui prodire dedit. Fugit hinc discordia belli.  
Non illîc posuit violenta cubile tyrannis.  
Ast ibi libertas, cui sanctas NASSEUS ædes  
Sacravit, BATAVÛM civilia jura tuetur.

Sic fatus, pronâ effigiem cervice saluto,

Atque abiens, mecum in somnis audita movebam:

O beata hæc gens petiit potentis

Quæ ducis leges! magis ô beate

Ille, qui quùm jam populis amica

Jura dedisset,

Spontè juravit patrias ad aras:

QUÆ DEDI, SERVABO! tenaxque sancti

Consili, dignum meruit Batavæ

Gentis amorem.